



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de  
Coloniae Agrippinae, 1655**

Prologvs Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

nuda ossa relicta sunt. Inter hos cruciatus Prorex iterum instat, ut errorem suum agnoscat: tumque se cruciatibus his facile remedium inventurum. At gloriosus hic martyr, quamvis ad mortem usque esset languidus, hanc tamen Proregis vanitatem iterum risu prosequutus est. Tunc ille multo iritator, inspectante utroque exercitu (duplicem enim tum habebat, Protestantium unum, Catholicorum alterum) per carnificem crura ossibus nudata, tum brachia & digitos intra duo saxa confringi, atque ita ad patibulum duci iussit. Quum ad supplicii locum venisset, laqueum collo gestans, Commissarios rogavit, ut unam horam sibi concederent, qua populum alloqueretur. Sed quum aegre dimidiatae horae spacium impetrasset, multa de se ac fide sua disseruit, circumstantes Catholicos salutaribus praeceptis instruxit: sic denique omnium animos commovit, ut nec haeretici ipsi à lachrymis sibi temperarent. Tandem ad Proregem conversus, sic inquit: Tu quidem, o Prorex corpus hoc iniuste torquisti, multasque mihi fecisti injurias: quarum ultionem in hoc Mundo à nemine posco, sed te ad divinae Majestatis tribunal cito, ut ibi tuarum iniquitatum rationes reddas. His verbis supra modum exasperatus Prorex, ac tacitum animo vulnus sentiens, non minus amaris verbis respondit: Tu quantum est hominum perversissime, in quam citissimo gradu ad infernum. Citationem ego tuam nihili facio, ac verba tua tipula leviora duco. Sic ergo sanctus ille homo, una cum socio strangulatus, ad aeternam gloriam evolavit. Tanta vero infinitarum virtutum hujus hominis in omnium animis infederat memoria, tanta de sanctitate eius erat opinio, ut plerique Catholicos non aliter quam sanctum venerarentur: quod quidem etiam non pauca miracula ad reliquias eius facta testantur. Prorex cum exercitu ad civitatem Limiricensem profectus, (ubi quinque dierum stativa habuit) die quodam cum Catholico Barone obambulans, quum ad locum ubi duo illi beati martyres perdebant, advenisset, Baronem inquit: Ecce perfidum illum hominem qui me ad tribunal Dei citare non dubitavit, quum tamen jam anima eius in inferno infelix degat, corpus vero est funesta hac arbore pendeat, avibus devorandum ac caeli injuria corumpendum Tum Baro, Mihi, inquit, non placet, prorex, nec aequum mihi videtur, ut nobili orti profapia inter fures & latrones patibulis alligati conspiciantur. Prorex iterum, Non ignoro, ait, te Catholicum esse, sed mihi crede, propediem fore

ut contumaciae tuae poenas luas. Non multos post Prorex in morbum incidit, qui in dies augetens, mox vitam ipsi abstulit, decimoquarto post sanctos illos supplicio affectos die. In quo facile omnes, non modo divinam justitiam, sed misericordiam etiam agnoscunt, ut qui Catholicæ religionis veritatem tot tamque miraeulosi testimoniis ab omni ævo semper corroboravit.

Ad finem libri hujus apponere visum est Catholici Scriptoris Sanderi verba, sic librum suum de Schismate Anglicano claudentis.

Sed de his dulcissimæ patriæ meæ calamitatibus non libet plura hoc tempore dicere, gentis potius olim religiosissimæ, miseram convenit deplorare fortunam; adeoque homines ex hac barbara & bruta hæresi immutatos, ut cum omni religione etiam humanitatis sensum exuisse videantur, quodque cum priscis temporibus patrumque etiam nostrorum memoria sacris episcoporum, presbyterorum ac religiosorum personis tam insignem venerationem semper exhibuerint, ut ubicunque (inquit venerabilis Beda) clericus aut monachus adventaret, gaudenter ab omnibus tamquam Dei famulus exciperetur; & si in itinere peregrinus inveniretur, accurrebant omnes & flexa cervice, vel manu signari, vel verbis illius se benedici gaudebant; eo (inquam) nunc res nostræ sint prolapsæ, ut iis in perditâ gente nostra, non solum nullus tribuatur honor, sed quod nec ille vivere aut esse liceat; quodque eorum conditio sit furum, latronum, homicidarum, perduellium ac quorumvis sceleratissimorum hominum forte longe intolerabilior; eo miseros Britannos meos perdidit impia hæresis & ecclesiasticæ communionis disrupta societas.

## PROLOGVS AD LECTOREM.

**S**pectatum satis est, nihil inclementius atas protulit ulla patrū, mentem furor impius omnem Exiit humanam: nulli sua profuit atas; Non sexus, non innocui lactentibus anni, Non senibus sua canicies, venerandaque muliū Majestas vita meritis: non forma pudorque Feminæ teneri subduxit corporis artus Supplicio: non insonis reverentia caussa, Vindictæque metus: nec copia tanta nefanda Cadis inexpletas satiavit sanguine fauces. Diversumque genus lethi specieque cruentas

Eumerii

*Funeris insoliti, nullisque exercita sacris  
Vidimus in nostro pœnarum inventa teatro.  
Vidimus exanimis se vire in viscera trunci,  
Et rabiem cineri non indulgere sepulto,  
Sanguineisque trucem manibus scœdare cruorem.  
Sancta profanatis mysteria vidimus aris.  
Quid superest? coramne tuos attollere vultus*

*Hæresis audebis? causamque animumque nocendi  
Aut aliquo poteris prætexere nomine culpam?  
Sed hæc fatis sunt. Nos jam in Gallias trajiciemus,  
quosnam ibi fructus hæresis pepererit, visuri.*

*Finis libri Sexti.*

FLORIMVNDI RAEMVNDI  
DE ORTV, PROGRESSV ET RVINA  
HÆRESEON SVPERIORIS SÆCVLI  
HISTORIÆ  
LIBER VII.

ARGVMENTVM SEPTIMI LIBRI.

Sequenti libro Septimo demonstratur, quomodo Lutherana hæresis in Gallias irrepserit, quibusque artibus à Lutheranis sit propagata; sed pietate Francisci I. regis, ne pedem in regno figeret aut latius proferperet prohibita: Margarita interim Navarræ regina schismati favente; & quibus modis. Ioannis Calvinii novæ hæreseos auctoris thema genethliacum explicatur: quibus ille artibus primæ sectæ suæ fundamenta jecerit ac Genevam tandem profugerit: ubi multa à nemine antea scripta recensentur, ac simul causæ quæ Galliæ populos ad novarum rerum studium impulerunt.

INDEX ET SVMMARIA CAPITVM  
sequentis Libri Septimi.

CAPVT I.

- I. **L**UTHERANÆ hæreseos contagio in Gallia gliscit.  
II. Ecclesia hostium in concinnanda ecclesia sua historia vafrities & doli.  
III. Scommata eorum & calumnia à Catholicis contemnuntur & ridentur.  
IV. Quanta turba & confusiones è nova religione nata sint.

- V. Status religionis & reipublica eodem tam in bonis quam in malis vinculo est colligatus.  
VI. Gallia post introductam hæresin, nullum non malorum genus experta est.

CAPVT II.

- I. **F**RANCISCI I. Galliarum regis bonarum literarum restaurator, & summus fautor ac patronus.  
II. Homines scientia præstantes undique ad se vocat & accersit.  
III. Eum Lutherus ad partes suas traducere conatur.  
IV. Quibus artibus ad id sit usus.

Dd 2

CAPVT